Luebbert, Eduard
De Pindaro Locrorum
Opuntiorum amico et patrono

PA
4276
L845

AUG 16 1962
UNIVERSITY OF TORONTO
50620

# RECTOR ET SENATVS

## VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

## CIVIBVS

## S.

1. Pindarus quomodo res divinas et humanas in carminibus copulaverit.

Est hoc ingenium carminum Pindaricorum, ut in eis res divinae, caelitus arcessitae, ex theologiae Graecae arcanis haustae arctissimo vinculo cum rebus humanis, praesentibus, e media vita petitis coniungantur. Poeta modo philosophus est, ad astra oculos attollens, modo ipsius vitae pictor subtilissimus et locupletissimus. Nam vates Apollinis, quem in Theoxeniis Delphicis (A. Mommsen, Delphica p. 302) ad epulas Apollo praeconum voce vocabat: Πίνδαρος ἐπὶ τὸ δεῖπνον τῷ θεῷ (Eustath. Vit. Pind. ap. Westerm. Biogr. p. 92), ita sibi persuaserat: per universam vitam humanam divinae sapientiae semina sparsa esse, nihil tam volgare et quotidianum esse, quin luce divina penitus perfundi possit. Ex harum rerum, volgi certe opinione saepe discordantium, felicissima copulatione Pindari carminum tum difficultas quaedam peculiaris, tum eximia etiam atque incomparabilis pulchritudo nata est. Duas enim illo foedere icto res lucratus est Pindarus. Primum cum amicorum suorum res gestas et fata narrat vel fabulas mythicas tanquam ex Amaltheae cornu effundit, haec nunquam delectationis unius caussa afferuntur, sed ad altiorem semper sapientiam instillandam. Deinde vero cum praeclara vitae praecepta et sententias de rebus divinis recludit et aperit, haec nunquam eam speciem praebent, quasi ex philosophantis cerebro, studio operoso et laborioso, extorta sint, meditationum macie exsangui pallentia, sed vitae coloribus nitidissimis florentissimisque distincta et ornata semper incedunt.

Huius artis cum alia plurima Pindari carmina documento sunt, tum praeclarum in modum carmen Ol. IX in Epharmostum Opuntium lucta victorem, cui Ol. 81,1 = 456 ad Alpheum oleagina corona obtigerat. Epharmostus vir erat regia stirpe oriundus, luctandi arte et corporis robore insignis; vicerat non Olympiae tantum, sed in Pythiis, Nemeis, Isthmiis aliisque multis ludis sacris, quae per Graeciae civitates agebantur. Pindarus igitur tantam virtutem et gloriam, constantissimo fidissimoque studio partam, ut par fuit, meritis laudibus effert. Sed his laudibus minime carminis summa sententia absolvitur; immo aliud quid praeterea spectat poeta. Non solius Epharmosti, sed nobilitatis

omino Locrorum causam agit. Maerebant enim illo tempore Locrorum familiae nobiles; quare, quae est Pindari in praestanda amicis suis fide, non tantum cum laetantibus laetatur, sed cum lugentibus luget, et, quantum fieri potest, eos erigit, defendit, consolatur. Erat autem re vera, cur Locros consolaretur. Duplici enim luctu afflicti erant. Primum ab Atheniensibus grave volnus acceperant, quo omnis, qua antea floruerant in propria republica regenda, auctoritas eis adempta erat; hoc in visceribus haerebat, hoc dies noctesque cruciabat; accedebat quod ne salus quidem in tuto plane erat. Deinde vero ab sacerdotibus Olympiis iniuria quadam Locri afflicti fuerant, quae licet non salutem, sed famam tantum et decus atque illud, quo omnes homines incenduntur, honoris studium tangeret, tamen aegerrime a Locris tolerabatur. Sed haec ut totius carminis consilium accurate et plene intellegi possit, nunc paullo iam copiosius enarranda sunt.

## 2. Quaenam anni 457 auctumno et anni 456 vere in Boeotia gesta sint.

Iam igitur ut priorem illa lugendi causam primum contemplemur, cohaeret haec cum illo bello, Atheniensibus sane gloriosissumo, quod annis 457 et sequenti in Boeotia gestum est, in quo ancipitis fortunae vicissitudines mirum in modum conspicuae fuerunt. Anni enim 457 auctumno Lacedaemonii cum Thebanis castra ad Tanagram posuerant, hac spe adducti, fore, ut, seditione in urbe Athenarum ab factione oligarchica mota, ipsi ab proditoribus auxilio vocarentur. Thuc. 1, 107 . . . ἄνδρες τῶν Ἀθηναίων ἐπῆγον αὐτοὺς κρύφα ἐλπίσαντες δῆμόν τε καταπαύσειν καὶ τὰ μακρὰ τείχη οἰκοδομούμενα. Sed populus Atheniensis custode rerum publicarum Pericle in tempore huic periculo occurrit. Argivis in auxilium adsumptis e finibus suis egressi sunt. Magno utrinque animorum impetu proelium apud Tanagram mense, ut videtur, Novembri anni 457 (A. Schaefer, de rerum post bellum Persicum . . . gestarum temporibus p. 18) factum est, in quo magis proditione Thessalorum equitum, qui ab Atheniensibus ad Lacedaemonios subito defecerunt, quam armorum vi superiores facti sunt Lacedaemonii. Thuc. 1, 107 ἦλθον . . . Θεσσαλῶν ἱππῆς τοῖς Ἀθηναίοις κατὰ τὸ ξυμμαχικόν, οἳ μετέστησαν ἐν τῷ ἔργῳ παρὰ τοὺς Λακεδαιμονοίυς. Victoria tam ambigua fuit, ut Athenienses se victos negarent; Lacedaemonii sane victoriam ut prorsus certam minimeque precariam sibi vindicaverunt in inscriptione clypei, quem, ut decumam e praeda, Iovi Olympio suspenderunt, Paus. V, 10, 4 ἐκ δὲ Τανάγρας || τοὶ Λακεδαιμόνιοι συμμαχία τ᾽ ἀνέθεν || δῶρον ἀπ᾽ Ἀργείων καὶ Ἀθαναίων καὶ Ἰώνων, || τὰν δεκάταν νίκας εἵνεκα τῶ πολέμω.

Hac pugna, licet statim post Lacedaemonii in Peloponnesum cum magno sane Thebanorum dolore (Pind. Isthm. VI, 17 εὕδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί cf. Aristarchum in scholiis ad h. l.) redierint, in Boeotia tamen et in civitatibus vicinis optimatium factio magnopere corroborata est. Thebanis vero id tempus commodissumum visum est ad minores Boetiae civitates plane opprimendas; nam huius potissumum rei ut Thebanis copiam facerent, Lacedaemonii illam expeditionem susceperant. Diod. XI, 81, 3 τῆς μὲν τῶν Θηβαίων πόλεως μείζονα τόν περίβολον κατεσκεύασαν, τὰς δ᾽ ἐν Βοιωτίᾳ πόλεις ἠνάγκασαν ὑποτάττεσθαι

τοῖς Θηβαίοις. Athenienses vero, qui miro patriae amore illis potissimum annis ad summa conitebantur, cum optime, quantum sibi inde periculi immineret, intellegerent, magna alacritate sexagesimo altero post Tanagrense proelium die, mense Ianuario, duce Myronide rursus ad bellum profecti sunt. Thuc. 1, 108 δευτέρᾳ καὶ ἑξηκοστῇ ἡμέρᾳ ἐστράτευσαν ἐς Βοιωτούς. Ambo exercitus cum pugnandi cupiditate flagrarent, mox ad Oenophyta congressi sunt, ubi proelio cruentissumo pugnatum est. Diod. XI, 83, 1 γενομένης τῆς μάχης . . . καὶ τὸ δεινὸν ἀμφοτέρων ταῖς ψυχαῖς ἐρρωμένως ὑπομενόντων. Platoni in Menexeno si fides habenda pugna per duos dies anceps stetit, tertio demum perrumpunt Athenienses, ita enim Platonis p. 242 B verba cum Boeckhio edit. Pind. Explicatt. ad Isthm. VI p. 533 explicanda censeo: οἱ δὲ ἡμέτεροι τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐν Οἰνοφύτοις νικήσαντες τούς ἀδίκως φεύγοντας δικαίως κατήγαγον. Pindarus ipse luculentus est animorum fervoris et concitationis, qua in hac pugna dimicatum est, testis in carmine Isthm. VI in Strepsiadem Thebanum, quod carmen eodem anno, quo Ol. IX, 456 a. Chr. n. scriptum est. Gloriam poeta praedicat avunculi victoris, qui in pugna occubuerat, v. 27 ἴστω . . . ὅστις ἐν ταύτᾳ νεφέλᾳ χάλαζαν αἵματος πρὸ φίλας πάτρας ἀμύνεται, || . . .μέγιστον κλέος αὔξων || ζώων τ' ἀπὸ καὶ θανών. Boeoti cum magna utriusque partis strage in fugam conversi sunt.

### 3. Rerum publicarum apud Locros magna post proelium Oenophytense conversio.

Haec pugna initium fuit magnae rerum in Boeotia et vicinis civitatibus conversionis; nam optimatium factio ubique a gubernaculis civitatium remota est rerumque summa in popularium manus redacta. In Boeotia per aliquantum temporis popularis factio cum magna adversae partis vexatione dominata est, donec, qui semper est studiorum effrenatorum exitus, nimia inconsiderantia ipsa se evertit. Qua de re testatur Aristoteles Pol. 5, 2 p. 1302, b, 29 οἷον καὶ ἐν Θήβαις μετὰ τὴν ἐν Οἰνοφύτοις μάχην κακῶς πολιτευομένων ἡ δημοκρατία διεφθάρη. Eodem haud dubie pertinet vox Periclis simul elegans et acerba Aristot. Rhet. 3, 4 p. 1407, a, 3 (ἡ Περικλέους εἰκὼν) εἰς Βοιωτούς, ὅτι ὅμοιοι τοῖς πρίνοις. τούς τε γὰρ πρίνους ὑφ' αὑτῶν κατακόπτεσθαι καὶ τοὺς Βοιωτοὺς πρὸς ἀλλήλους μαχομένους. Sed haec rerum mutatio vicinas quoque civitates corripuit; Myronides enim victoria Oenophytensi ita usus est, ut illas quoque aggrederetur, subigeret, statum reipublicae Atheniensibus commodum ubique institueret. De Phocensibus et Thessalis Diodorus testatur XI, 83, 3 τοὺς Φωκεῖς καταπολεμήσας καὶ λαβὼν ὁμήρους ἀνέζευξεν εἰς τὴν Θετταλίαν. Nostra nunc maxume interest quaerere, quid Locris factum sit. De eis testimonia duo cognitu dignissima et quibus cum fructu ad Pindarum explicandum uti possis, extant. Diod. XI, 83, 2 ἐκ τῆς Βοιωτίας ἀναζεύξας ἐστράτευσεν ἐπὶ Λοκροὺς τοὺς ὀνομαζομένους Ὀπουντίους. τούτους δὲ ἐξ ἐφόδου χειρωσάμενος καὶ λαβὼν ὁμήρους, ἐνέβαλεν εἰς τὴν παραλίαν. Supplentur haec Thucydidis narratione 1, 108 καὶ Λοκρῶν τῶν Ὀπουντίων ἑκατὸν ἄνδρας ὁμήρους τοὺς πλουσιωτάτους ἔλαβον. Haec narratio verbis paucissimis ingentem rerum apud Locrenses conversionem significat. Quae nunc in historiae voluminibus duas solas lineolas implent,

magna olim tragoedia fuerunt, multorum insigni dolore et lacrimis peracta. Omnium illorum certaminum summa haec est: ex optimatium manibus principatum in republica ad populum transiisse.

4. Centum apud Locros familiae nobilissimae in tribus discriptae.

Apparet igitur, hic quidem rerum gestarum, quem ex scriptoribus historicis adumbravimus, cursus si comparetur cum eis, quae Pindarus in carmine Ol. IX enarrat, quod eodem anno 456 haud ita multo post ludos Olympicos compositum est, fieri non posse, quin lucem egregiam ambae hae narrationes invicem sibi affundant. Sed antequam haec plenius, ut par est, persequamur, Locrorum antiquitates paullo etiam subtilius considerandae sunt. De Locrorum reipublicae institutis nonnulla nos edocet Polybius loco operis sui clarissimo, ubi de Locrorum Epizephyriorum antiquitatibus contra Timaeum, satis acerbe in hominem non nimis acutum invectus, disputat, Pol. XII, 5—16. Erant igitur apud Opuntios potissimum Locros, qui ceteris Locris antiquiores eorumque quasi parentes sunt, centum familiae nobilissimae, qui numerus per multa saecula servatus Polybii etiam temporibus sibi constabat. Eae originem repetebant ex heroinarum cum dis immortalibus coniugiis. Inde illud quoque explicandum, quod apud Locros nobilitatis propagatio fiebat per mulieres; Polyb. XII, 5, 6 πάντα τὰ διὰ προγόνων ἔνδοξα παρ᾽ αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γυναικῶν, οὐκ ἀπὸ ἀνδρῶν ἐστιν. De centum familiis nobilibus, quae nonaginta familiarum in Elide principatum tenentium apud Arist. Pol. 5, 6 p. 1306, a, 17 nos admoneant, locus primarius est apud Polyb. XII, 5, 6 εὐθέως εὐγενεῖς παρὰ σφίσι (Epizephyriis) γενέσθαι τοὺς ἀπὸ τῶν ἑκατὸν οἰκιῶν λεγομένους· ταύτας δ'εἶναι τὰς ἑκατὸν οἰκίας τὰς προκριθείσας ὑπὸ τῶν Λοκρῶν πρὶν ἢ τὴν ἀποικίαν ἐξελθεῖν.

Hic centum familiarum numerus in aliquot, — quanti autem fuerint, non constat, — tribus distributus erat, ut una tribus maiorem gentium nobilium numerum comprehenderet, simili plane, ut apud Athenienses, ratione. Hoc ita fuisse ex Servii ad Aen. 1, 64 testimonio constat, qui de notissimo illo usu, quo a Locris quotannis duae virgines nobiles Minervae Iliensi tanquam ad sacrificium (Plut. ser. num. vind. 12; Timaeus fragm. 66 in Hist. Gr. fr. vol. I ed. Mueller) mittebantur, referens addit, earum puellarum alteram ex Aiacis semper tribu eligi debuisse; Serv. l. s. *ut postea de eius* (Aiacis) *regno quotannis unam nobilem puellam iusserit Ilium sibi ad sacrificium mitti et quod est amplius de ea tribu, de qua Aiax fuerat.* Mos erat, ut virgines in littore suo expositas Ilienses corripere temptarent, arreptas in sacrificium abducerent; si feliciter illae, deae templum assecutae, evasissent, munus ministrarum in aede Minervae per vitae tempus eis subeundum erat, cuius rei memoriam versibus pervenustis Euphorio nobis servavit, quo utitur Plutarchus de ser. num. vind. 12: αἳ καὶ ἀναμπέχονοι γυμνοῖς ποσὶν, ἠύτε δοῦλαι, || ἠοῖαι σαίρεσκον Ἀθηναίης περὶ βωμόν, || νόσφι κρηδέμνοιο, καὶ εἰ βαρὺ γῆρας ἱκάνοι. conf. Meinekium, Analecta Alexandr. p. 165. In tribu Aiacis, quae Αἰαντίς fortasse vocabatur, cum complures familiae inessent, virginis electio aliter fieri vix poterat, quam ita, ut familiae ipsae concilio habito, dein

sorte ducta eam definirent, cui anno vertente triste illud puellae consecrandae munus subeundum esset. Virgo altera, quae praeter illam ex Aeantide tribu mittenda erat, quam Servius fonte suo neglegenter usus ne nosse quidem videtur, ex reliquis tribubus simili opinor sortitione designari solebat. Hac ratione si negotium expediri solitum esse statuamus, nulla iam repugnantia Polybio erit cum Servio cum dicit Pol. XII, 5, 7 τὰς ἑκατὸν οἰκίας . . . ἐξ ὧν ἔμελλον οἱ Λοκροὶ κατὰ τὸν χρησμὸν κληροῦν τὰς ἀποσταλησομένας παρθένους ἐς Ἴλιον.

## 5. De phylarum apud Locros regibus.

Atque paullo etiam altius in antiquitates illas Locrenses penetrare licebit, Pindaro opinor duce. Testimonio enim satis manifesto tradi videtur, singulis illis tribubus, quae, ut diximus, complures familias complectebantur, singulos reges praepositos fuisse, nomine φυλοβασιλέων nuncupatos. Tribus autem seu phylas in aliis quoque civitatibus regibus paruisse, Atheniensium exemplo luculentissime confirmatur. Pollux VIII, 111 οἱ δὲ φυλοβασιλεῖς inquit ἐξ εὐπατριδῶν ὄντες μάλιστα τῶν ἱερῶν ἐπεμελοῦντο, συνεδρεύοντες ἐν τῷ βασιλείῳ τῷ παρὰ τὸ βουκολεῖον. De phylarum igitur apud Locros regibus eximius testis est Pindarus Ol. IX, 53 sqq., qui locus infinitam disputandi et dubitandi copiam semper interpretibus praebuit. Pindari verba si de una tantum domo regia, e qua Oileus et Aiax prodierunt, explicentur, impenetrabili caligine involuta sunt. Verba haec sunt, Pind. Ol. IX, 53 κείνων (Πύρρας καὶ Δευκαλίωνος) δ' ἔσσαν || χαλκάσπιδες ὑμέτεροι πρόγονοι, || ἀρχᾶθεν Ἰαπετιονίδος φύτλας, || κοῦροι κορᾶν καὶ φερτάτων Κρονιδᾶν, ἐγχώριοι βασιλῆες αἰεί, || πρὶν Ὀλύμπιος ἁγεμών . . . In stemmate enim regum Locrorum, quale exhibet Eustathius ad Il. β, 531 locupletissimum et fide dignissimum, nulla insunt matrimonia puellarum ex Iapeti stirpe cum Cronidis ante Iovis cum Protogenia coniugium v. 57 πρὶν Ὀλύμπιος ἁγεμών κτλ. De his igitur heroibus, Opunte minore (v. 64) antiquioribus, poetae verba explicari nequeunt, neque ullis machinis in hanc sententiam ea torqueri posse, eruditorum conatus infelices ostendunt.

Relinquitur igitur hoc solum, quod Servii et Polybii testimoniis commendatur, ut omnium apud Locros phylarum domus regias Pindarum dicere statuamus, quo concesso omnis huius loci difficultas et inenodabilis confusio tollitur.

## 6. Aetatis heroicae inferioris ordinis reges alienis auspiciis parentes.

Phylarum enim domus regiae haud dubie e coniugiis puellarum ex Iapeti stirpe cum dis Olympiis, Mercurio, Apolline, Neptuno aliis originem derivabant. Etenim aetatis heroicae temporibus non eos tantum reges, quorum maiestas summa est, ad aliquem deorum ortum suum referre videmus, sed eos quoque paullo inferioris gradus principes, qui alienis auspiciis parerent. Nam est tale regum illa aetate genus, qui alius excelsioris nutui subiecti sint. Velut apud Phaeaces, quam rem Alcinous adumbrat, Od. θ, 390 δώδεκα γὰρ κατὰ δῆμον ἀριπρεπέες βασιλῆες || ἀρχοὶ κραίνουσι, τρισκαιδέκατος δ' ἐγὼ αὐτός. ||

Proci quoque Penelopae regum nomine nuncupantur Od. σ, 64 ἐπὶ δ' αἰνεῖτον βασιλῆες || Ἀντίνοός τε καὶ Εὐρύμαχος, πεπνυμένω ἄμφω. Od. ω, 179 βάλε δ' Ἀντίνοον βασιλῆα licet pater Antinoi Eupeithes nobilis tantum civis Ithacensis fuerit Od. π, 424 δεῦρο πατὴρ τεὸς ἵκετο φεύγων || δῆμον ὑποδδείσας. Hi vero reges vel principes divinum aliquem generis sui auctorem non minus libenter, quam potentissimi illi regum reges iactabant. Exemplum notabile est in Iliade ε, 546 Orsilochus, Alphei fluvii filius, qui in urbe Phera regnavit, quae postea Agamemnonis regno subiecta est; nam Pheram sive Pheras Agamemnon tanquam suam sibique subiectam Achilli cum sex aliis urbibus ut pacis restituendae pretium offert, Il. ι, 151 Φηράς τε ζαθέας ἠδ' Ἄνθειαν βαθύλειμον. Orsilochum igitur Alpheus genuerat eique patriae urbis regnum tradiderat Il. ε 547 ὃς (Ἀλφειός) τέκετ' Ὀρσίλοχον πολέεσσ' ἄνδρεσσιν ἄνακτα, Od. γ, 388 et ο, 185. Orsilochi filius Diocles est, qui Agamemnonis tempore eiusque quasi auspiciis regnat; duos igitur filios cum Agamemnone ad bellum Troianum miserat: Cretheum et Orsilochum ab avo dictum. Hi ambo ad Troiam ab Aenea fortiter dimicantes interempti sunt, Il. ε, 559 τοίω τὼ χείρεσσιν ὑπ' Αἰνείαο δαμέντε || καππεσέτην, ἐλάτῃσιν ἐοικότες ὑψηλῇσιν. De hoc exemplo atque omnino de regum alienis altioribusque auspiciis parentium memoria docte egit Gustavus Gilbert, Studien zur Altspartanischen Geschichte, Gottingae 1872 p. 38 cf. Curtium, Hist. Graec. I[4], 166.

Aliud rursus exemplum principum inferiorum a dis immortalibus originem repetentium praebent Myrmidonum in initio Patrocliae duces. Primum Myrmidonum agmen Menesthius ducit, cuius hunc in modum ortus describitur Il. π, 175 ὃν τέκε Πηλῆος θυγάτηρ καλὴ Πολυδώρη || Σπερχειῷ ἀκάμαντι, γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα. Alterum agmen ducit Eudorus, quem Mercurius compressa Polymela genuit Il. π, 179 Εὔδωρος ... || παρθένιος, τὸν ἔτικτε χορῷ καλὴ Πολυμήλη, || Φύλαντος θυγάτηρ, τῆς δὲ κρατὺς Ἀργειφόντης || ἠράσατ'. Haec exempla facile aliis plurimis augeri possint. Sed in his acquiesci nunc poterit, res ipsa enim manifesta est: inferioris quoque gradus gentes nobiles divinos auctores iactare solitos esse. Quare nihil omnino obstat, quominus Locrorum φυλοβασιλεῖς eadem sibi vindicasse et coniugia mulierum ex Iapeti stirpe cum Cronidis finxisse statuamus. Ex tali igitur genere Epharmostus Opuntius oriundus erat. Deinde hoc quoque apparet, cur heroes illos omnes Epharmosti maiores poeta nominet. Domus enim illae, a Saturni filiis conditae, sanguinis vinculo omnes inter se coniunctae erant. Quare suo iure poeta omnes „Epharmosti maiores" vocare potuit Ol. IX, 54 χαλκάσπιδες ὑμέτεροι πρόγονοι. Scholia interpretantur ad v. 79 p. 219 med. οἱ ὑμέτεροι ἀντὶ τοῦ οἱ σοὶ πρόγονοι.

Regum igitur illorum tribulium antiquitus propria et seiuncta regna olim fuerant; ea deinde sublata sunt Opuntis, Iovis et Protogeniae filii, regno, quo augustior et excelsior iam rerum ordo apud Locros institutus est; nam hoc quoque Pindarus persequitur v. 67 ἀφίκοντο δέ οἱ (Ὀποῦντι) ξένοι || ἔκ τ' Ἄργεος ἔκ τε Θηβᾶν, οἱ δ' Ἀρκάδες, οἱ δὲ καὶ Πισᾶται. Hi omnes ad Iovis filium salutandum adveniunt.

## 7. Gentes Locrorum sacerdotales.

Ex his igitur testimoniis aliqua profecto lux vetustissimis Locrorum rebus et rei publicae primordiis affulget. Accedit quod etiam gentium duarum ex illustrissimo illo centum gentium coetu nomina haud ita pridem felici casu ex inscriptione Naupactia prodierunt, quae nunc legitur in nitidissimo Inscr. Graec. antiquiss. volumine ab Roehlio edito, no. 321. Complectitur hic titulus leges coloniae, quae ex Locris Hypocnemidiis Naupactum deducta est, ante annum, uti videtur, 456. Duarum ibi familiarum peculiaria quaedam iura definiuntur, Percothariarum et Mysacheorum. Inscr. lin. 22 Περκοθαριᾶν καὶ Μυσαχέων ἐπεί κα Ναυπάκτι[ός τι]ς γένηται . . . Haec nomina ingenioso et praeclaro invento Fridericus Nietzsche apud Vischerum, Musei Rhen. vol. 26, 57—60 sacerdotalia esse cognovit, quibus purgandorum a piaculis civium (περκαθαίρω) et expiandorum scelerum officia significentur. Has quoque gentes in numero nobilissimarum fuisse, quis dubitet? quamquam nomina patronymica non sunt, qualia ceterarum fuisse credibile est.

## 8. Carminis Olymp. IX tempus haud longe diiunctum a publica Locrorum clade.

Iam igitur centum illarum gentium Locrensium tenuis quaedam imago ex tantis tenebris magis magisque pellucet. Earum igitur inde a vetustissimis temporibus summa omnium rerum apud Locros potestas fuit: eae domi bellique rempublicam administrarunt; foedera quoque cum aliis populis, qualia ipsis videretur, sanxerunt. Nequaquam mirum est, eas Lacedaemoniis se adiunxisse eorumque in Graecia septentrionali studiis magnopere favisse. Haec res Atheniensium iram movit; quare post pugnam ad Oenophyta, qua mirum in modum Atheniensium in illis regionibus potentia aucta est, enixe hoc eis curae fuit, ut Locrorum, sicut reliquorum ibi populorum, rei publicae status in eam formam, quae ipsis commoda esset, mutaretur. Vidimus supra, Myronidem in Locros incursionem fecisse et post victoriam haud magno negotio partam apud Locros democratiam instituisse; ac ne familiae nobiles quidquam contra molirentur, centum obsides, qui numerus est ipsarum familiarum, secum abduxit, Thuc. 1, 108 ἑκατὸν ἄνδρας ὁμήρους τοὺς πλουσιωτάτους. Tota deinde Locrorum res publica Atheniensium iam foederi adiuncta est. Hae res gestae sunt primis mensibus anni 456. Pugnam enim apud Tanagram postremo aliquo mense anni 457 factam esse planissume elucet ex Plutarchi verbis, qui Pericl. 10 tradit, post proelium Tanagrense, quo sane Athenienses graviter afflicti sunt, eos in aliquo timore fuisse, ne Lacedaemonii, sicubi anni tempus commodum advenisset, novo gravique impetu bellum instaurarent, Plut. Pericl. 10 (᾿Αθηναίους) προσδοκῶντας . . . βαρὺν εἰς ἔτους ὥραν πόλεμον. conf. A. Schaefer, de rer. post bellum Pers. gestar. temporibus p. 18. Pugna Oenophytensis intervallo bimestri post facta est, Thuc. 1, 108. Sequitur ut vere ineunte incursio illa in Locros et rei publicae Locrorum in statum popularem mutatio facta sit. Thucydides 1, 108, qui temporum ordinem accurate sequitur, deditionem ab Aeginetis factam statim post incursionem illam Locrensem commemorat: ὡμολόγησαν δὲ καὶ οἱ Αἰγινῆται μετὰ ταῦτα τοῖς ᾿Αθηναίοις τείχη τε περιελόντες καὶ ναῦς παραδόντες.

## 9. Pindarus Locrensium familiarum, cladem suam lugentium, decus egregie vindicat.

Cum igitur his rerum gestarum fluctibus gentes Locrorum nobiles magnopere afflictae essent et ademptam sibi summam in republica, qua antea nullo unquam adversante floruerant, auctoritatem lugerent, in ludis eius anni Olympiis Ol. 81, 1 = 456 pulcherrimum eis solatium affulsit Epharmosti, unius haud dubie ex principibus totius factionis viri, splendida in lucta victoria. Optimates enim Locrenses omnino ludis gymnicis egregie studuisse e toto Pindari carmine Ol. IX elucet. Praeter Epharmostum Lampromachum quoque quendam, Epharmosti amicum, nam cum Achille et Patroclo ambos v. 77 comparat, tanquam alterum Locrorum decus meritis laudibus poeta effert, qui in Isthmiis eodem cum Epharmosto die vicerit, v. 83 ἦλθον || τιμάορος Ἰσθμίαισι Λαμπρομάχου μίτραις, ὅτ' ἀμφότεροι κράτησαν || μίαν ἔργον ἀν' ἁμέραν. Pindaro sine dubio acceptissima haec invitatio accidit, ut Epharmosti victoriam caneret. Totum carmen, sententiis gravissimis et luculentissimis refertum, eo consilio compositum est, ut optimates Locrenses Pindarus erigeret et consolaretur, utque universae Graeciae ostenderet, quam illi iniuste e principatu in sua republica fluctibus et procellis civilibus expulsi essent. Athenienses etsi non verbis apertis, sed tecte, ut, qui velint, intellegere possint, tangi nonnullis carminis locis velut v. 100 constat. Boeckhius edit. Pind. Explicatt. ad. Isthm. VI p. 532 init. rectissime observavit, in compluribus Olympiadis LXXXI carminibus poetam Atheniensium, qui antiquos et traditos in Graecia ordines identidem perturbare ausi sint, tectam quandam reprehensionem verbis suis affudisse. Accedit aliquid praeterea, quod magni momenti est. Hoc carmen, quamquam primo adspectu unice Locrum videtur, minime tamen huic uni rei studet, ut, quam illustris Locrorum nobilitas sit, quae cum Pyrrha et Deucalione proximo cognationis vinculo coniungatur, omnibus explanetur: immo maius quid praeter hoc Pindarus demonstrandum sibi proposuit. Non solorum Locrorum, sed nobilitatis omnino in omnibus civitatibus iura et caussam defendendam suscipit. Hoc enim est quod ait: Nobilitatem ingenerato sibi iure locum certum et in mundo a Iove optime constituto quasi assignatum sibi accepisse, quem nullum fortunarum naufragium eripere ei possit. Ac nemo unquam, id quod infra paullo post adparebit, luculentius hunc locum de nobilitatis ingenito iure enarravit.

## 10. Locris et Epeis, ut Lelegibus ambobus, vetus commercium fuisse.

Iam vero hoc primo, quo nobiles Locrorum familiae tunc premebantur, luctu exposito nunc de altera quodam molestia et iniuria dicendum, quae illis ab invidia inflicta est, quam Pindarus in carmine suo reparare et refellere conatur pro amicitia et hospitii iure (v. 84 προξενίᾳ δ' . . . ἦλθον), quae cum Locris ei intercedebant. Hoc incommodum etsi non, ut illud superius, Locrorum nobilium salutem et vitae fundamenta labefactabat, tamen non minorem paene eis aegrimoniam attulerat, quia ad famae et originum suarum decus obscurandum valebat. Apud Locros enim, quae erat eorum splendoris ingenerati et exi-

miae nobilitatis fiducia, haec fama in coetu nobilissimarum familiarum propagabatur: antiquissimis temporibus Locrorum migrantium agmen in Elidem pervenisse; ibi coloniam conditam esse, quae talem in modum effloruerit, ut certo quodam tempore regium in Elide imperium heros Locrus obtineret, Opus, Iovis et Protogeniae filius. Haec fabula aliquo ipsarum rerum fundamento nitebatur, nam et Epei et Locri origine sua Leleges sunt. De Locris et Opuntiis et Ozolis luculentus testis est Aristoteles apud Strab. VII, 322 in Aetolorum politia: ἐν δὲ τῇ Αἰτωλῶν τοὺς νῦν Λοκροὺς Λέλεγας καλεῖ ... ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τῇ Ὀπουντίων καὶ Μεγαρέων. Dionys. Hal. 1, 17 ἐξελαύνονται (οἱ Πελασγοί) . . . ὑπό τε Κουρήτων καὶ Λελέγων, οἳ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται. Locros ipsos antiquitus Leleges se credidisse idque in fabulis domesticis constanter propagasse, documento est testimonium Hesiodi in Catalogo ap. Strab. VII, 322 (cf. Marckscheffelium p. 327), ubi ex lapidibus a Pyrrha et Deucalione post tergum coniectis Leleges ortos esse, qui Locri postea dicti sint, exponitur: ἤτοι γὰρ Λοκρὸς Λελέγων ἡγήσατο λαῶν, || τούς ῥά ποτε Κρονίδης Ζεὺς ἄφθιτα μήδεα εἰδὼς || λεκτοὺς ἐκ γαίης λάους πόρε Δευκαλίωνι (λαούς om. codd. supplevit Salmasius).

## 11. Locrorum vetusta in concilio Amphictyonum decora.

Apparet magnam olim in Amphictyonum concilio Locrorum auctoritatem fuisse; nam narratio de Pyrrha et Deucalione in Delphicae theologiae thesaurum recepta ab sacerdotibus Delphicis Locrorum populo tanquam in depositum tradita est. Nam in terram Locrorum post diluvium finitum Deucalion e Parnasso descendit et regnum ibi condit; Strab. IX, 425 med. ἐν δὲ τῷ Κύνῳ Δευκαλίωνά φασιν οἰκῆσαι, καὶ τῆς Πύρρας αὐτόθι δείκνυται σῆμα. Pindarus Ol. IX, 43 de Opunte urbe: ἵνα . . . Παρνασοῦ καταβάντε || δόμον ἔθεντο πρῶτον. Locrenses igitur post diluvium haustum in theologumenis Delphicis antiquissima sunt hominum quasi renatorum stirps. Ac dubitari non potest, vetustissimis temporibus re vera Locrorum agmina nonnulla in Elidem ad Epeos, qui ipsi quoque Leleges sunt (conf. O. Muellerum, Proll. p. 323; Deimlingium Lel. p. 144), transmisisse. Locrenses ibi, licet pauciores pluribus longe admixti, tamen vetustae patriae memoriam et conscientiam quandam tenacissimi retinuerunt. Huius rei vel invitus Strabo testis est, qui haec Locrorum in Elide frusta cum contemptu, qui ex praeiudicata opinione insederat, ut statim videbimus, commemorat; Str. IX, 425 med. λέγεσθαι δ' Ὀπουντίους τινας καὶ ἐν τῇ Ἠλείᾳ φασιν, ὧν οὐκ ἄξιον μεμνῆσθαι, πλὴν ὅτι συγγένειαν αὐτῶν ἐξανανεοῦνται τοῖς Ὀπουντίοις ὑπάρχουσαν. Locrorum in Elide incolentium multa sunt indicia. Fluvius est Opus nomine in Elide, Schol. Pind. Ol. IX, 64 p. 216 extr. Πρωτογένεια . . . κατὰ δ' ἐνίους Ὀποῦντος τοῦ ἐν Ἤλιδι ποταμοῦ. cf. ibid. p. 219 extr. Urbs quoque est in Elide Opus vocata. Diod. XIV, 17, 8 τέτταρας πόλεις (ὁ Παυσανίας) προσηγάγετο, Θραιστὸν Ἄλιον Ἐπιτάλιον Ὀποῦντα. Est in Elide septentrionali haud longe ab Lasione, cf. Curt. Pel. 2, 41 et 107; Steph. Byz. s. v. Pelops deinde quidam Opuntius unus est ex tredecim procis Hippodamiae, schol. Pind. Ol. I, 127.

## 12. Physcoa heroina in Elide culta. Physcus vetus Locrorum rex. Proverbium: Λοκροὶ τὰς συνθήκας.

Sed praeter haec vestigia parum nobilitata aliud est testimonium Locrorum in Elide sedentium splendidissimum, qua de re copiose tradidit Pausan. V, 16, 6, cf. O. Mueller, Mus. Rhenan. 1834 p. 177. Vetus erat in Elide institutum, ut sedecim matronarum (Paus. 6, 24, 10) collegium constitueretur, quae pariter, ut sacerdotes Iovi, ita Iunoni sacra quinto quoque anno, i. e. redeuntibus Olympiis, facienda curarent. Mulieres antiquissimis temporibus ita eligebantur, ut octonae e Pisatide, octonae ex Eleis urbibus crearentur; postea omnes Eleae erant, ex unaquaque urbe binae. Tempus quoque fuit, Olympiade 104 (Paus. V, 9, 6), cum ex octo tribubus, in quas divisa erat Elis, mulieres eligebantur, Paus. V, 16, 7 νενεμημένοι γὰρ ἐς ὀκτὼ φυλὰς ἀφ' ἑκάστης αἱροῦνται γυναῖκας δύο. Et his quidem mulieribus cum alia munera, tum hoc quoque iniunctum erat, ut duos virginum choros, quae hymnos duos canerent, instituerent; Paus. V, 16, 6 αἱ δὲ ἑκκαίδεκα γυναῖκες καὶ χοροὺς δύο ἱστᾶσι, καὶ τὸν μὲν Φυσκόας τῶν χορῶν, τὸν δὲ Ἱπποδαμείας καλοῦσι. Physcoam illam sacrae fabulae narrabant ex Coelae Elidis pago Orthia oriundam amatam esse ab Baccho, qui ex ea genuerit Narcaeum; hunc Bacchi filium, cum adolevisset, magnum imperatorem factum et vicinos populos devicisse, denique aedem Minervae condidisse ἐπίκλησιν Ναρκαίας (Paus. V, 16, 7). Physcoa heroina est haud dubie Locrensis. Physcus enim clarissimus est Locrorum rex, filius Amphictyonis, Locri pater. A Physco Locrenses vetustiore nomine Physci appellati olim sunt, Eustath. ad Il. β, 531: Ἀμφικτυόνος καὶ Χθονοπάτρας ἀπόγονος Φύσκος, οὗ Λοκρός, ὧν ἀπὸ μὲν Φύσκου Φύσκοι πρώην, ἀπὸ δὲ Λοκροῦ Λοκροὶ οἱ αὐτοὶ ὠνομάσθησαν. Physcus urbs quoque est Locrorum Ozolarum, St. Byz. s. v. et Plut. Quaest. Graec. 15.

Praeterea aliud quoddam e vetusta Locrorum historia testimonium notum est, unde apparet, tempore migrationis Heraclidarum et Aetolorum in Peloponnesum Locros Ozolas huic expeditioni eum in modum favisse, ut insigni quadam fraude, quae in proverbium Locris minime honorificum abiit, Achaeos fidentes sibi deciperent. Enarravit haec Polybius XII, 12, b. Convenerat Locris cum Achaeis, ut Locri, ubi Heraclidas apud Rhium, non in Isthmo, transitum molientes vidissent, ignes hostiles, h. e. hostium adventum significantes, tollerent Pol. l. s. πολεμίους πυρσοὺς αἴρειν; sin abeuntes ad Isthmum vidissent, amicos φιλίους πυρσούς. Locri amicos suos perfide fefellerunt contrariis, quam convenerat, ignibus sublatis, amicis pro hostilibus, quo effectum est, ut Achaei opprimerentur. Rei memoria proverbio servata est, Polyb. l. s. § 1. ἐπὶ τῶν ἀθετούντων τὰς συνθήκας προφερόμεθα ταύτην τὴν παροιμίαν· Λοκροὶ τὰς συνθήκας. Summa igitur perfidia proverbio significatur; cf. Zenob. 4, 97; Eustath. Il. β, 529. Locrensibus igitur cum Epeis et Lelegibus littoris Peloponnesi occidentalis vetus fuit commercium.

## 13. Vetusta Locrorum et Epeorum communio Protogeniae fatorum imagine pulchre in fabulis expressa.

Sed haec populorum locis admodum diiunctorum communio fabulae quoque originem dedit, quae Locrorum fama et memoria celebratissima, Olympiae quoque altas radices egit. Huius fabulae caput et argumentum primarium Protogeniae, Pyrrhae et Deucalionis filiae, fata sunt. Haec igitur narratio Locrorum fabulis domesticis procusa et exornata in Elidem translata est. Elidenses, id quod paullo infra adparebit, eam sibi vindicatam postea, quom communionis illius cum Locrensibus et vinculi memoria magis magisque intermortua esset, paullatim ex Locrensium fabularum compage solvere conati sunt. Pindarus contra assurgit omnesque vires intendit, ut vinculum illud renovaret eiusque memoriam animis rursus hominum infigeret denique in hac quoque provincia antiqua Locrorum iura defenderet. Iam vero ut haec recte enarremus ab exordio ordiendum. Protogenia igitur vel Cyni, quae urbs portus instar (τὸ ἐπίνειον Strab. IX, 425) est Opunti urbi, vel Opunte adoleverat, Schol. Pind. Ol. IX, 64 p. 216 med. οἰκῆσαι δὲ ἐν Κύνῳ τόν Δευκαλίωνα λέγεται καὶ τὴν Πύρραν, καὶ τὴν Πρωτογένειαν ἐκεῖ τετράφθαι φασίν. ἱστορεῖ δὲ ταῦτα καὶ Ἑλλάνικος. Pindarus ipse Opunte Protogeniam natam et educatam fingit, hanc enim urbem significat verbis Ol. IX, 41 φέροις δὲ Πρωτογενείας || ἄστει γλῶσσαν. cf. Strab. IX, 425. Protogeniam Iuppiter compressit, ex quo coniugio nati sunt duo filii, Opus et Aethlius. De Opunte res notissima est e scholiis potissumum Pindaricis, Sch. Pind. IX, 79 p. 219 init. Πύρρας (nam Pyrrhae semper, ut apud Locros, nomen Deucalionis nomen antecedit) καὶ Δευκαλίωνος Πρωτογένεια, ἧς καὶ Διὸς Ὀποῦς, et. pag. 218 med. ἡ Πρωτογένεια] ἐκ ταύτης καὶ τοῦ Διὸς Ὀποῦς, ἀφ' οὗ ἡ πόλις Ὀποῦς et pag. 216 extr. ἐκ ταύτης καὶ Διὸς Ὀποῦς, [ἀφ' οὗ] ἡ πόλις τῶν Ὀπουντίων. Huius narrationis testes splendidissima nomina afferuntur: Hellanicus p. 216 med., Pherecydes p. 220 extr., Apollodorus p. 216 med. De Aethlio Iovis et Protogeniae filio luculentis testis est Pausanias V, 1, 3 Ἀέθλιον] παῖδα δὲ αὐτὸν Διός τε εἶναι καὶ Πρωτογενείας τῆς Δευκαλίωνος. Apollod. bibl. 1, 7, 2, 6 Πρωτογένεια, ἀφ' ἧς καὶ Διὸς Ἀέθλιος.

## 14. Opuntem, Protogeniae filium, in regum Eleorum catalogo iure vetusto locum principem olim obtinuisse.

Narrationis igitur antiquae haec forma fuit: Iovem Protogeniam dilectam sibi in Elidem abduxisse ibique duos filios, Opuntem, maiorem natu, et Aethlium minorem, genuisse. Haec fabula a Pindaro magnopere confirmatur, nam carminis Ol. IX narratio mythica omnis in hac re nititur, Opuntem Iovis filium, Deucalionis nepotem, apud Epos regnasse, Pind. Ol. IX, 58 θύγατρ' ἀπὸ γᾶς Ἐπειῶν Ὀπόεντος. Atque hanc tradendi formam sollemnem quoque et legitimam olim apud sacerdotes Eleos fuisse inde credibile est, quod re vera in Elide colonorum e Locride profectorum haud exigua multitudo conse-

derat, qui Physcoam in ludis Olympiis cultam et invocari solitam secum attulerant. Accedit quod nunquam Protogenia Aethlii mater ficta esset, nisi iam ante hanc genealogiam ortam alio vinculo Protogenia illarum regionum populis, Epeis et Pisaeis, propria et domestica facta esset. Iam igitur nostro iure pro certo hoc et concesso statuere possumus: in vetustissimo regum Eleorum indice Opuntem primum omnino locum obtinuisse eiusque nomen reliquis Elidis regibus omnibus praefixum fuisse. Nam Aethlio quoque aetate maiorem Opuntem fuisse, e Protogeniae ex Locride in Elidem translatae memoria planissume apparet. Is enim haud dubie filius, cuius nomen (Ὀποῦς) ad matris patriam (ἡ πόλις Ὀποῦς) nos revocat, alterum aetate necessario anteire debet. Locrenses igitur Epicnemidii et Opuntii non exiguo hoc sibi decori et honori ducebant, unum ex heroibus suis domesticis vetustissimum regem in illis locis fuisse, in quibus Iuppiter ad terram descendere, quo universa Graecia ad summi numinis maiestatem colendam quinto quoque anno confluere solebat. In hac re se Locros paullulum iactavisse, quis aegre ferat? Sed longius etiam fabularum fingendarum studium apud Locros progressum est. Opus heros, Elidis rex ante Aethlium, virile secus non habuit, unam tantum filiam, Protogeniam secundam, ab avia dictam. Hanc iterum Iuppiter, ut aviam olim, abductam in Maenalo monte compressit et gravidam Locro in matrimonium collocavit, ne, cum liberis ille orbus esset, genus eius interiret. Filius Iovis, ex Protogenia secunda natus, Opuntis nomen, quod avo in Elide fuerat, accepit. Rem luculenter enarrat Pindarus Ol. IX, 58—64: θύγατρ᾽ . . . Ὀπόεντος ἀναρπάσας . . . ἔνεικεν || Λοκρῷ, μὴ καθέλοι νιν αἰὼν . . . || ὀρφανὸν γενεᾶς . . . || εὐφράνθη δὲ ἰδὼν ἥρως θετὸν υἱόν, || μάτρωος δ᾽ ἐκάλεσσέ νιν || ἰσώνυμον ἔμμεν.

15. Opuntis nomen cum magno Locrorum luctu ab Eleis ex regum catalogo expunctum. Huius iniurae causa fuerit populare imperium, sublata oligarchia, apud Eleos institutum.

Cum igitur in mutuo hoc vinculo, quod per duplex Iovis cum duabus Protogeniis coniugium efficiebatur, celebrando et amanter excolendo magnopere sibi placerent Locri, non potuit non eos vehementer offendere Eleorum sacerdotum inurbana et inimica admodum harum fabularum perturbatio. Nam ut brevi comprehendamus, quod illis temporibus magnis haud dubie discordiis peractum est, sacerdotes Elei ex regum Eleorum catalogo Opuntem Protogeniae filium, sustulerunt. Edocemur de hac re planissume Pausaniae narratione, Paus. V, 1, 3. Exponit ibi Pausanias de regum Elidensium antiquissumorum catalogo. Primus est Aethlius: βασιλεῦσαι πρῶτον ἐν τῇ γῇ ταύτῃ λέγουσιν Ἀέθλιον . . ., τούτου δὲ Ἐνδυμίωνα γενέσθαι. Endymionis rursus filii sunt Paeon, Epeus, Aetolus, una filia Eurycyda. In regno sequuntur Epeus, qui sine virili prole moritur, et Aetolus, qui propter caedem ex Elide discedit. Cum igitur regnum virili prole vacuum esset, secutus est Eurycydae ex Neptuno filius Eleus, quem postea Augias excipit, Paus. V, 1, 8 ἔσχεν ἀρχὴν Ἠλεῖος Εὐρυκύδης τε τῆς Ἐνδυμίωνος καὶ . . . πατρὸς ὢν Ποσειδῶνος . . . § 9 Ἠλείου δὲ ἦν Αὐγέας. De Opunte igitur in toto hoc catalogo altum silentium; excluserant praefracte eius

memoriam Elei. In scholiis ad Apoll. Rhod. 1, 69 quod Opus Elei filius vocatur, hoc minime, ut videtur, ex sacris Eleorum annalibus fluxit.

Locrorum familiis nobilibus nomen Opuntis sui ex Eleorum annalibus expunctum magnum videtur luctum attulisse. Caussa, qua commoti Elei insigni hac iniuria eos affecerint, perspicua redditur, si, quem cursum paullatim studia factionum in Eleorum republica ceperint, reputemus. Vetustioribus temporibus post Doriensium migrationem oligarchiam in Elide institutam esse certum est; nonaginta gentes clavom ibi rerum publicarum tenebant, quod praeclaro Aristotelis testimonio constat; Arist. Pol. 5, 6 p. 1306, a, 15 τῶν γερόντων ὀλίγοι πάμπαν ἐγίνοντο διὰ τὸ ἀιδίους εἶναι ἐνενήκοντα ὄντας, τὴν δ' αἵρεσιν δυναστευτικὴν εἶναι. cf. Bursianum, Geogr. Graec. 2, 275. Temporibus, quae bella Persica subsecuta sunt, popularis factio paullatim incrementa cepit; eius rei luculentissumum documentum est Elidis urbis συνοικισμός. Anno 471, archonte Athenis Praxiergo, Diodorus XI, 54, 1 haec in Elide gesta refert: Ἠλεῖοι μὲν πλείους καὶ μικρὰς πόλεις οἰκοῦντες εἰς μίαν πόλιν συνῳκίσθησαν, τὴν ὀνομαζομένην Ἦλιν. Strab. VIII, 336 extr. ὀψὲ δέ ποτε συνῆλθον εἰς τὴν νῦν πόλιν Ἦλιν, μετὰ τὰ Περσικά, ἐκ πολλῶν δήμων. Hac igitur conversione rerum gentes Eleorum nobiles potentia et opibus, quibus ante floruerant, privatae sunt, simul foedus cum Lacedaemoniis, quod per multa saecula ab optimatibus religiose servatum fuerat, magis magisque solvi coeptum est. Magna tandem, ex odii diu gliscentis seminibus, discordia exarsit bello Peloponnesiaco, anno 420, propter Lepreum oppidum ab Eleis vexatum et obsessum, a Lacedaemoniis defensum; Thuc. 5, 31, 5 οἱ δ' Ἠλεῖοι . . . ὡς οὐκ ἴσον ἔχοντες ἀφίστανται πρὸς τοὺς Ἀργείους . . . ἐγένοντο δὲ καὶ οἱ Κορίνθιοι εὐθὺς μετ' ἐκείνους καὶ οἱ ἐπὶ Θρᾴκης Χαλκιδῆς Ἀργείων ξύμμαχοι.

16. Eleorum sacerdotum fabulas ad arbitrium immutandi studium. Pindarus Opuntem maiorem ab oblivione vindicat; minoris Opuntis memoriam fabularum Graecarum thesauro inserit.

Haec tanta studiorum civilium et iuris publici commutatio fieri non potuit, quin in rebus quoque ad sacra pertinentibus alicuius momenti esset. Iam alia nuper occasione oblata ostendimus sacerdotes Eleos antiquas fabulas interdum pro arbitrio detorsisse et a pristina forma in noviciam deflexisse. Locros vero, Lacedaemoniis coniunctissimos, Herculis Oetaei cultores studiosissumos — nam Apollodoro, bibl. 2, 7, 7, 5 teste cum Epicnemidiorum Locrorum exercitu Hercules adversus Eurytum conflixit —, Eleis sacerdotibus, Herculis Idaei fautoribus (Paus. 5, 7, 6—10), una cum Lacedaemoniis minus gratos paullatim factos esse, admodum verisimile est. Quare ab eisdem haud ita multo post bella Persica Opuntis, Protogeniae filii, nomen ex fabularum apud Eleos sacrarum memoria extinctum esse crediderim. Hac iniuria Pindari quoque, Locrorum amici, hospitis, patroni animus magnopere offensus est. In carmine igitur Ol. IX, quo defendendorum palam Locrorum exoptatissimam occasionem nactus est, fabulam de Opunte, Protogeniae filio, egregio et in omne tempus mansuro praeconio ab oblivione vindicat. Pindari verba,

quibus Opuntem maiorem sceptra in Epeorum terra tenentem commemoravit, v. 58, alta voce clamant clamabuntque, hoc nomen fastis regiis Eleorum restitui oportere. Sequitur deinde post v. 58, in qua cardo totius narrationis vertitur, fabula de Opunte minore, quae antea in volgus apud Graecos ignota a Pindaro nunc demum Graecarum fabularum thesauro innectitur. Hanc narrationem ex domestica, ut ita dicam, Locrorum in fabulis procudendis officina et supellectili depromptam Pindarus, ut ipse dicit novam et antea nondum auditam Graecis propinavit, unde clarissime opinor intellegitur, etiam apud Hesiodum in Catalogo vel Eoeis nullam eius memoriam extitisse; Pindarus Ol. IX, 47 ἔγειρ' ἐπέων σφιν οἶμον λιγύν, || αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων.

17. Non esse quod Aethlii se pietate Elei tutentur. Nullum admitti in mundo, ab Iove optime constituto, cum deis contra deos foedus.

Pindarus vero in carmine, quod totum in patrocinio amicorum recte administrando versatur, quemadmodum solet facere, summae dulcedini insignem etiam gravitatem et severitatem admiscuit. Eleorum enim superbia et insolentia, quae eos ad acerbam iniuriam Locris infligendam compulerat, non Locrorum tantum animos, sed deorum quoque immortalium et heroum iura violaverat. Elei haud dubie eo se praetextu tutabantur, Aethlii honorem imminui, si non ipsius, sed Opuntis in prima catalogi regum sede nomen poneretur. Pindarus contra rectissime hoc argumentum eis obicit: si ita agant, eos profecto hunc morem introducere, ut uno deo in societatem adsumpto bellum nefarium adversus reliquos deos agant. Illustrat hoc Herculis exemplo, qui adiutrice adsumpta Minerva contra Ditem patrem, Neptunum, Apollinem acriter dimicaverit; v. 30 Ἡρακλέης σκύταλον τίναξε χερσίν, || ἀνίκ' ἀμφὶ Πύλον σταθεὶς ἤρειδε Ποσειδᾶν, || ἤρειδεν δέ νιν ἀργυρέῳ τόξῳ πολεμίζων || Φοῖβος, οὐδ' Ἀίδας ἀκίνηταν ἔχε ῥάβδον. Et hoc quidem Herculem olim suo iure ita fecisse. Pindarus enim Herculis aetatem ad tempora certaminum cum Gigantibus refert, Nem. VII, 90 de Hercule: Γίγαντας ὃς ἐδάμασας. Hac igitur aetate nec mundus nec deorum coetus in eam iam harmoniam compositi fuerant, quae postea Iovis aeterna et inenarrabili sapientia stabilita est; at nunc Iovis optimi maxumi imperio instituto, cuius et dis immortalibus et hominibus nutui parendum sit, cum unum idemque consilium per universum mundum effusum omnia, quae fiant et gerantur, regat et moderetur, tale profecto bellum, quo homines, uno deo verbo tenus adiutore adsumpto, adversus alios deos quasi signis collatis confligant, non volgaris audaciae et temeritatis, sed furoris documentum esse. Talia ausa vehementer Pindarus castigans v. 35 ἀπό μοι λόγον inquit || τοῦτον στόμα ῥῖψον· || ἐπεὶ τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς || ἐχθρὰ σοφία καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν || μανίαισιν ὑποκρέκει. Pindarus num Eleos meliora edocuerit, an in perversitate perseverarint, incertum est; e Pausaniae V, 1, 3 de Opunte silentio posterius colligas; hoc tamen certo eum adsecutum opinor, ut iniuriam amicis suis ab Eleis inlatam severe castigando et inspectante Graecia coercendo in ardens Locrorum volnus balsama instillaret.

18. Vitio pervolgato accidit, ut homines, uni rei, per se bonae, nimium studentes, vitae in universum harmoniam subvertant. Pindari ea de re sententia.

Exposuimus de temporum illorum rebus gestis et hominum fatis, quae caussam carmini Ol. IX pangendo Pindaro dederint. Sed haec quamquam lucis aliquid adferunt ad partes quasdam carminis intellegendas, tamen minume sufficiunt ad universam eius sententiam percipiendam. Pindarus cum ostendit, Locrorum nobilitatem tam vetustam esse, ut hominum genus post diluvium regeneratum et renovatum aetate aequet, hac laude minime nec suum animum ad altissima evolantem saturavit, nec auditorum expectationem ea expleri posse sibi persuasit. Ne alterum quidem illud, quod in sanctissima Iovis Olympii sede Opuntis Locrorum herois nomen, erasum ab Eleis, restitutum volt, tantum ei visum est, ut per se ipsum carmine dignum videretur. Haec sunt caduca et terrestria. Verum insunt in unoquoque Pindari carmine igniculi quidam caelestes, sententiae et praecepta ex eius sapientiae copiis hausta, quae rerum humanarum cum divinis communionem complectitur, quae non vitae secundum volgarem astutiam moderandae regulas quasdam tradit, sed quae hoc ostendit, quemadmodum per uniuscuiusque hominis vitam summi illius consilii, quo mundus regitur, aeterni concentus resonent. Talis igitur semper sententia investiganda est, cum carminis alicuius compositionem et harmoniam per omnes partes diffusam cognoscere cupiamus. Quae supra, temporum illorum historia in comparationem vocata, eruimus, corporis tantum lineamenta et species externa in hoc epinicio sunt. Anima, udae argillae a Prometheo inflata, nondum adparuit.

Sed non nimium, credo, difficile erit, summam huius carminis sententiam adumbrare, quoniam semper in ipsis rebus, quae originem carmini dederunt, iam latet sententia, quae ex rudi materia poetae ingenio elicitur. Proficiscendum in hoc proposito inde est, quod Ol. IX, 28 poeta dicit, omnes, quibus homines instructi sint, facultates et ingenii dotes deorum immortalium donum esse: ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον' ἄνδρες || ἐγένοντ'. Sed magnum est in hac modestiae et pietatis specie periculum; tanquam a scopulo acutissimo retinenda ab eo navis. Hominum volgus dum virtutem se sectari opinatur, in impietatis crimen incurrit. Itaque omnes nervos poeta intendit, ut oratione efficacissima, imagine luculentissima vitii illud genus, quod blandam virtutis speciem mentitur, pingat, castiget, execretur. Nam volgus facillime falso splendore decipitur. Atque vitium illud pervolgatum est, digitis monstrari potest. Plurimi enim sunt homines, qui, unius alicuius dei auxilio freti, ceteris bellum indicunt; hoc vitio qui laborat, irrumpit ille, torrentis instar, in aliorum provinciam, limites a Iove constitutos transilit, fragore et caeco impetu fertur, nullus est in summa eius fortitudine verus fructus. Haec impietas est. Quidquid enim divinum est, unum est et inseparabile et secum ipsum concors. Magno foedere mundus continetur, quo tam di immortales, quam hominum, qui hemerobiorum instar sumus, genus tenetur. Nam Pindarus, ut Aeschylus, duas mundi et deorum aetates statuit, alteram Saturni, alteram Iovis. Ex illo turbulentiore statu perfectissima paullatim harmonia exorta est; nam perfectissima quaeque postrema.

19. Aetas quondam mundi fuit, qua dei cum deis rixabantur. Iovis imperio pax et concordia stabilitae. Inde locus de Hercule Ol. IX, 30—40 explicatus.

Olim, antequam ad gubernacula mundi Iuppiter accessit, deorum in mundo munera nondum discriminata erant; hoc postea demum factum; itaque dei cum deis bella gerebant; rixabantur; heroes quoque, a communi discordiarum et rixarum incendio correpti, certaminibus illis se immiscuerunt. Illustratur hoc Herculis luculenta imagine, v. 30, qui Minervam ducem secutus eiusque iussu clavam adversus tres deos, Neptunum, Apollinem, Ditem patrem, quassare ausus sit. Hac narratione Pindarus, qui semper et ubique Herculem tanquam celsissumum generis humani exemplar veneratur, nihil profecto quidquam de huius herois laudibus detractum volt, immo statum mundi, qualis ante Iovis supremum regnum fuerit, viventibus coloribus depingit. Illo enim tempore mundi pulcherrimi flos nondum folia recluserat, sed pulcherrima quaeque etiamtunc tanquam in incunabulis latebant. Sed secutum est Iovis imperium, qui dissonantia in perfectissimam harmoniam copulavit, munera dis omnibus certa attribuit, limites constituit. Pindarus in his rebus adumbrandis eandem haud dubie theologiam secutus est, de qua tradit Hesiodus Theog. 881 αὐτὰρ ἐπεί ῥα πόνον μάκαρες θεοὶ ἐξετέλεσσαν, || Τιτήνεσσι δὲ τιμάων κρίναντο βίηφι, || δή ῥα τότ᾽ ὤτρυνον βασιλευέμεν ἠδὲ ἀνάσσειν || Γαίης φραδμοσύνῃσιν Ὀλύμπιον εὐρύοπα Ζῆν || ἀθανάτων. ὁ δὲ τοῖσιν ἐῢ διεδάσσατο τιμάς. De ludis victoriae, quibus di immortales de Titanibus, post octoginta annos (Hes. Theog. 636 συνεχέως ἐμάχοντο δέκα πλείους ἐνιαυτούς) tandem perdomitis et devictis, triumpharint, miram antiqua simplicitate narrationem habet Eumelus poeta seu Arctinus. Athen. I p. 22, c Εὔμηλος δὲ ὁ Κορίνθιος ἢ Ἀρκτῖνος τὸν Δία ὀρχούμενόν που παράγει λέγων· Μέσσοισιν δ᾽ ὠρχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. conf. Prellerum, Mythol. Graec. I$^3$, 49. Post illam victoriam iam omnia Iovis nutui parent. Itaque quemadmodum olim Herculi certamen adversus deos impune fuit, ita nunc, rege et summae in mundo harmoniae custode Iove, maxumum scelus sit, si quis perfectissimum hunc rerum ordinem ad priscum χάος retro torquere audeat; qui talia moliatur, inenarrabilem illam mundi pulchritudinem et harmoniam furoris sui strepitu impleverit. Hoc est quod poeta dicit Ol. IX, 37 τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς || ἐχθρὰ σοφία καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ὑποκρέκει.

20. In mundi a Iove optime constituti corpore, ut omnibus omnino rebus, ita singulis quoque hominibus locus certus divinitus attributus est. In ea re nititur ius nobilitatis.

Iam in carminis progressu egregie exponit poeta, quae nunc sit in mundo a Iove optime constituto humani generis sors et conditio. Non ea est vera virtus, quae limites a Iove constitutos audacter perrumpit, transilit, subvertit, sed quae sanctissime eos ob-

servans ad caelum enititur. Nos omnes in certas vitae conditiones nascimur, in certum officiorum orbem. Non fortuitum profecto est, quo loco nascare; magnam nostri partem a maioribus hereditariam accepimus, magnum ad virtutem excolendam thesaurum. Plurima, quae recte agimus, loco ipsi, in quo nati sumus et radices egimus, debemus, deinde parentibus et parentum parentibus accepta referimus. Virtus igitur magna ex parte ingenerata hominibus est. Eam sententiam luculento dicto poeta enuntiat Ol. IX, 100: τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν. Haec est vetus et tradita antiquitus apud Dorios doctrina: in totius civitatis consortio singulis divinitus locum stabilitum et assignatum esse. Archidamus rex apud Thuc. 2, 11, 9 κάλλιστον γὰρ τόδε καὶ ἀσφαλέστατον πολλοὺς ὄντας ἑνὶ κόσμῳ χρωμένους φαίνεσθαι. Verum enim vero, ita ratiocinatur Pindarus, multi sunt, qui de rebus humanis longe aliter sentiunt, quibus omnia omnes decere placet, qui virtutem non ingenitam censent, sed strenue discendo et astute meditando eam parari posse arbitrantur; Ol. IX, 100: πολλοὶ δὲ διδακταῖς || ἀνθρώπων ἀρεταῖς κλέος || ὤρουσαν ἀρέσθαι. His verbis tecte Athenienses tanguntur, apud quos vel infimi ad summum in republica locum adspirare audeant. Pindarus sententiam plane contrariam profitetur. Postquam enim, nocte illa antiqua, Saturni regimine, expulsa, Iovis augustis auspiciis praefulgentibus nova in mundo dies oborta est, iam in illo totius mundi perfectissimo corpore et compage nobilibus etiam gentibus locus aliquis conspicuos provisus et adsignatus est, quem illae tueri debeant, quem nulla eis malevolorum hominum invidia eripere possit.

Hoc ita se habere, Locrensium familiarum nobilium exemplo egregie confirmatur. In earum originibus nihil non divino consilio gestum est. Nam cum di Olympii cum virginibus ex Iapeti stirpe coniugia inirent, pacis laetissimae vinculum quoddam constitutum est. Filii enim ex illis coniugiis oriundi quasi pignus sunt conciliatae inter Saturni et Iapeti prolem concordiae in aeternum mansurae. His illi originibus freti exemplum verae virtutis fuerunt semper eruntque; virtus autem duarum rerum, specie diversarum, perfectissima coniunctione continetur: et fortitudinis, in omnibus vitae certaminibus semper inconcussae et intrepidae, et eius verecundiae, quae sine deorum ope non multum sibi fidit cuique hoc persuasum est: ἀγαθοὶ δὲ καὶ σοφοὶ κατὰ δαίμον᾽ ἄνδρες ἐγένοντο.

## SCRIPTORVM LOCI QVI EXPLICANTVR VEL EMENDANTVR:


Diod. XI, 83, 2 . . . . . . . . . . . . . . . p. 5
Paus. V, 1, 3—8 . . . . . . . . . . . . . . p. 14
„ V, 16, 6 . . . . . . . . . . . . . . . p. 12
Pindarus Ol. IX, 28 . . . . . . . . . . . . p. 17
„ Ol. IX, 30—35 . . . . . . . . . . . p. 16
„ Ol. IX, 53 . . . . . . . . . . . . p. 7
„ Ol. IX, 100 . . . . . . . . . . . . p. 19
Polyb. XII, 5, 7 . . . . . . . . . . . . . . p. 7
Schol. Pind. Ol. IX, 64 p. 216 . . . . . . . . . p. 13
Servius ad Aeneid. 1, 64 . . . . . . . . . . . p. 6
Strabo IX, 425 . . . . . . . . . . . . . . p. 11

# SCHOLAE

## SECVNDVM ORDINES DISCRIPTAE

### I. ORDINIS THEOLOGORVM EVANGELICORVM

1. *Professores ordinarii*

IOANNES PETRVS LANGE Dr. *Publice* I. Societatem homileticam moderabitur bis p. h. dieb. Ven. et Sat. h. IX. *Privatim* II. Theologiam moralem docebit quater dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. IX.

GVILELMVS LVDOVICVS KRAFFT Dr. *Publice* I. Historiam ecclesiae romano-catholicae a concilii tridentini temporibus usque ad vaticanum tradet bis p. hebd. d. Saturni h. IX et X. *Privatim* II. Historiam ecclesiae a Caroli m. temporibus usque ad finem saeculi XVI enarrabit quinquies p. h. h. X.

GVILELMVS IVLIVS MANGOLD Dr. *Publice* I. Orationem in monte habitam et Ev. Matth. capp. XXIV. XXV d. Sat. hh. X et XI interpretabitur. *Privatim* II. Tria priora evangelica quinquies per hebd. h. XI explicabit. III. Novi testamenti theologiam biblicam quatern. schol. h. XII docebit.

ADOLPHVS HERM. HENR. KAMPHAVSEN Dr. *Publice* I. Seminarii regii sodalibus nonnulla Vet. Test. capita interpretanda proponet. *Privatim* II. Psalmos explicabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII. III. Historiam regum Israelis et Iudae enarrabit dieb. Merc. et Sat. h. VIII.

THEODORVS CHRISTLIEB Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii regii tam homileticas quam catecheticas moderari perget. *Privatim* II. Theologiae practicae partem alteram h. e. artem homileticam et theologiam pastoralem docebit sexies h. X.

GVILELMVS BENDER Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii dogmatico-historicas s. h. moderari perget. *Privatim* II. Theologiam dogmaticam docebit quinquies h. IX. III. Religionis christianae praecepta et instituta tradit bis dieb. Merc. et Sat. h. XII.

2. *Professores extraordinarii*

CAROLVS BENRATH Lic. *Publice* I. Patrologiam docebit binis p. h. horis p. i. *Privatim* II. Historiam dogmatum exponet quater p. h. h. IV.

CAROLVS BVDDE Lic. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes hebraicas instituet bis p. h. dieb. Mart. et Ven. h. VI. *Privatim* II. Introductionem in vetus testamentum docebit quinqies p. h. h. V.

### 3. *Privatim docentes*

FRIDERICVS ZIMMER Lic. *Privatim.* Epistolas ad Corinthios datas explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI.

FRIDERICVS SPITTA Lic. *Privatim.* Liturgicen docebit bis p. h. h. p. st.

## II. ORDINIS THEOLOGORVM CATHOLICORVM

### 1. *Professores ordinarii*

ANDREAS MENZEL Dr. *Publice* I. Apologeticen tradet bis p. h. h. X. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae partem I tractabit quinquies p. h. h. IX.

FRANCISCVS HENRICVS REVSCH Dr. *Publice* I. Patrologiam docebit bis p. h. h. XI. *Privatim* II. Vaticania Messiana Veteris Testamenti enarrabit quater p. h. h. X.

IOSEPHVS LANGEN Dr. *Publice* I. Introductionis in libros N. T. capita selecta tractabit semel p. h. h. XI. *Privatim* II. S. Marci Evangelium interpretabitur ter p. h. h. XI. III. Historiae ecclesiasticae p. IV quinquies p. h. h. XII.

HVBERTVS THEOPHILVS SIMAR Dr. *Privatissime et gratis* I. Exercitationes catecheticas moderari perget semel p. h. h. V. *Privatim* II. Theologiae dogmaticae p. II docebit sexies p. h. h. IX. *Privatim* III. Theologiae moralis p. I tractabit quater p. h. h. X.

HENRICVS KELLNER Dr. *Publice* I. Quomodo et a quibus Germaniae populi saeculo VIII doctrina christiana imbuti sint, fusius enarrabit bis p. h. h. III. *Privatim* II. Historiae ecclesiasticae partem II et III quinquies p. h. h. XI. *Privatissime et gratis* III. Tertulliani librum Apologeticum interpretabitur semel p. h. h. III.

### 2. *Professor extraordinarius*

FRANCISCVS KAVLEN Dr. *Publice* I. Librum Actuum Apostolorum exponet dieb. Lun. Mart. h. XII. *Privatim* II. Introductionem in libros sacrae scripturae singulos faciet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV. III. Theologiae pastoralis partem alteram docebit dieb. Merc. Iov. Ven. h. XII. Praeterea Exercitationes homileticas moderari perget d. Sat. h. XII.

## III. ORDINIS IVRECONSVLTORVM

### I. *Professores ordinarii*

HVGO HAELSCHNER Dr. *Publice* I. Ius publicum imperii Germanici tractabit bis p. h. h. XII. *Privatim* II. Ius poenale Germanicum docebit quinquies p. h. h. X. III. Ius publicum Germanicum quinquies p. h. h. XI tradet.

RODERICVS DE STINTZING Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes iuris Romani practicas moderabitur semel p. h. d. Iov. h. V et VI. *Privatim* II. Pandectarum partes priores h. e. generalem et eas quae sunt de rerum dominio et iuribus in re aliena nec non de obligationibus decies p. h. h. X et XI.

FRIDERICVS EQVES DE SCHVLTE Dr. *Privatissime et gratis* I. In seminario regio exercitationes iuris germanici imprimis mercatorii moderabitur die Lun. h. V et VI. *Privatim* II. Historiam iuris et imperii germanici tradet diebus Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII.

GVILELMVS ENDEMANN Dr. *Publice* I. Ius cambiale docebit d. Mart. et Iov. h. XII. *Privatim* II. Ius mercatorium et maritimum d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. III. Doctrinam processus criminalis d. Lun. Merc. Ven. h. XII. IV. Ius quod attinet ad vias ferro stratas d. Lun. Merc. Ven. h. VI postmerid.

AVGVSTVS BECHMANN Dr. *Publice* I. In seminario regio gratis exercitationibus iuris Romani historicas moderabitur, die Saturni h. X et XI. II. *Privatim* docebit 1) Institutiones iuris civilis praemissa encyclopaedica in universum iuris studium introductione quater h. IX. 2) Historiam iuris Romani, quinquies h. X. 3) Processum civilem quinquies h. XII.

HERMANNVS HVEFFER Dr. *Publice* I. Ius matrimoniorum bis p. h. dieb. Lun. et Iov. h. II exponet. *Privatim* II. Ius ecclesiasticum catholicorum et evangelicorum docebit quater aut quinquies p. h. diebus Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. III.

CONRADVS HVBERTVS HVGO LOERSCH Dr. *Publice* I. Ius feudale docebit semel d. Merc. h. V. *Privatim* II. Ius privatum Germanicum sexies exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. h. IX. III. Ius Francogallicum civile quod in terris viges Rhenanis tradet quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

2. *Professores extraordinarii*

ALFREDVS NICOLOVIVS Dr. commeatu impetrato scholas non habebit.

RVDOLFVS KLOSTERMANN Dr. *Publice* I. De iure tabularum praediatoriarum disseret semel die Merc. h. IX. *Privatim* II. Ius civile Borvssicum docebit quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

SIGMVNDVS SCHLOSSMANN Dr. *Publice* I. Disputationes de selectis iuris civilis capitibus instituet semel p. h. h. d. *Privatim* II. Historiam et institutiones iuris civilis tradet diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX et X. III. Pandectarum partem alteram tractabit diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. XII.

## IV. ORDINIS MEDICORVM

1. *Professores ordinarii*

GVSTAVVS VEIT Dr. *Publice* I. Gynaecologiae partem d. Iov. h. V tradet. *Privatim* II. Artem obstetriciam senis diebus h. VIII docebit. III. Exercitationes practicas in clinico gynaecologico quotidie h. XII moderari perget.

FRANCISCVS DE LEYDIG Dr. *Publice* I. De animalium vertebratorum sceleto disseret die Mart. h. IV. *Privatim* II. Anatomiae comparatae partem secundam docebit dieb. Lun. Merc. Iov. h. IV.

EDVARDVS PFLVEGER Dr. *Publice* I. Seminarium physiologicum quotidie moderabitur. *Privatim* II. Physiologiae partem alteram, i. e. vegetativam docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX.

HVGO RVEHLE Dr. *Publice* I. De morbis cerebri disseret semel d. Ven. h. XII. *Privatim* II. Pathologiam et therapiam specialem tradet quinquies d. Lun. Mart. Merc. Iov. Sat. h. XII. III. Clinicum et policlinicum medicum moderabitur quotidie h. X¾—XII.

CAROLVS KOESTER Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pathologicum moderabitur quotidie. *Privatim* II. Anatomiam et physiologiam pathologicam specialem quinquies h. v docebit. III. Cursum demonstrativum anatomiae pathologicae cum exercitationibus rite obducendi cadavera ter h. II—IV instituet.

THEODORVS SAEMISCH Dr. *Publice* I. De ratione mutua inter corporis et oculi morbos d. Iov. h. VI disseret. *Privatim* II. Clinicum ophthalmiatricum moderabitur ter diebus Lun. Mart. Ven. h. VIII. III. Cursum ophthalmoscopicum instituet d. Merc. h. II et III. IV. Cursum operationum in oculo instituendarum habebit d. Ven. h. II.

CAROLVS BINZ Dr. *Privatissime et gratis* I. Laboratorium pharmacologicum quotidie h. p. st. moderari perget. *Privatim* II. Pharmacologiae experimentalis p. I tradet d. Mart. Merc. Iov. h. IV. III. Toxicologiam experimentalem exponet semel d. Lun. h. IV.

ADOLPHVS LIBER BARO DE LA VALETTE ST. GEORGE Dr. *Publice* I. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum NVSSBAVM P. E. quotidie h. IX—IV. *Privatim* II. Anatomiam specialem docebit sexies p. h. h. VIII. III. Exercitationes anatomicas una cum NVSSBAVM P. E. prosectore moderabitur quotidie h. IX—IV.

FRIDERICVS TRENDELENBVRG Dr. *Publiee* I. Chirurgiae specialis capita selecta tradet d. Merc. h. VI. *Privatim* II. Clinicum chirurgicum moderabitur quotidie h. IX—X$^{3}/_{4}$.

2. *Professor ordinarius honorarius*

WERNERVS NASSE Dr. *Privatim.* Clinicum psychiatricum moderabitur die Sat. h. II$^{1}/_{2}$—IV$^{1}/_{2}$.

3. *Professores extraordinarii*

HERMANNVS SCHAAFFHAVSEN Dr. *Publice* I. Anthropologiam bis p. h. h. III docebit. II. Physiologiam generalem bis p. h. h. III explicabit. *Privatim* III. Pathologiam generalem ter p. h. h. XII tradet.

IOSEPHVS DOVTRELEPONT Dr. *Publice* I. De morbis cutis aget d. Merc. h. IV. *Privatim* II. Artem fasciarum chirurgicarum rite adplicandarum et docendo et exercendo tradet d. Mart. Iov. et Sat. h. II. III. Clinicum morborum cutis et syphiliticum moderabitur bis h. p. st.

FRANCISCVS OBERNIER Dr. *Publice* I. Balneotherapiam d. Iovis h. III tradet. *Privatim* II. Propaedeuticen clinicam una cum exercitationibus practicis docebit diebus Lun. Mart. et Merc. h. III.

CAROLVS FINKELNBVRG Dr. *Publice* I. Psychiatriam generalem d. Merc. h. V. *Privatim* II. Hygieinen publicam dieb. Lun. Mart. et Ven. h. V.

CAROLVS A MOSENGEIL Dr. *Publice* I. De fracturis et luxationibus disseret d. Iov. h. IV. *Privatim* II. Chirurgiam generalem dieb. Lun. et Iov. h. VIII.

MAVRICIVS NVSSBAVM Dr. *Publice* I. De systemate urogenitali disseret d. Ven. h. III. II. Laboratorium anatomicum moderari perget una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. *Privatim* III. Exercitationes anatomicas una cum DE LA VALETTE ST. GEORGE P. O. quotidie instituet h. IX—IV. IV. Anatomiam topographicam docebit d. Lun. et Iov. h. V.

DITTMARVS FINKLER Dr. *Privatim* I. Exercitationes clinicas propaedeuticas ter dieb. Lun. Mart. et Ven. h. II—IV. *Publice* II. Pathologiam et therapiam generalem d. Sat. h. III—IV.

4. *Privatim docentes*

FRIDERICVS FVCHS Dr. *Gratis.* Physices medicinalis capita selecta bis h. p. i.

IOSEPHVS KOCKS Dr. *Gratis* I. Doctrinam operationum gynaecologicarum semel tradet h. p. i. *Privatim* II. Cursum operationum obstetriciarum quater h. p. st. habebit.

HENRICVS WALB Dr. *Gratis.* Selecta capita otologiae tradet bis dieb. Lun. et Merc. h. v. *Privatissime et gratis* II. Policlinicum otiatricum moderari perget quotidie h. $\text{II}^1/_2$.

CAROLVS BVRGER Dr. *Gratis* I. Policlinicum infantum moderabitur bis d. Mart. et Ven. h. II. *Privatim* II. Cursum laryngoscopiae habebit bis h. p. st.

SIGFRIDVS WOLFFBERG Dr. *Gratis.* De immunditiis urbium amovendis semel p. h.

HVGO SCHVLZ Dr. *Gratis* I. Historiam medicinae inde a Vesalii tempore tradet semel p. hebd. *Privatim* II. Toxicologiae partem ad venena anorganica spectantem tradet d. Mart. Ven. h. IV.

HVGO RIBBERT Dr. *Gratis* I. Pathologiam anatomicam specialem systematis ossium semel h. p. st. *Privatim* II. De tumoribus bis p. h. h. p. st.

GVILELMVS KOCHS Dr. *Gratis.* De generatione semel die Ven. h. X.

## V. ORDINIS PHILOSOPHORVM

### I. *Professores ordinarii*

CAROLVS BERGEMANN Dr. scholas non habere perget.

IOANNES GILDEMEISTER Dr. *Publice* I. Elementa linguae Arabicae tradet usurus grammatica Casparii ab A. Muellero retractata d. Lun. Merc. Iov. h. II. *Privatim et gratis* II. Linguam Persicam recentiorem docebit die Mart. et Ven. h. II. *Privatissime et gratis* III. Baidhâvium interpretabitur bis h. XI. IV. Arabicos varii generis scriptores proponet bis h. XI.

PETRVS KNOODT Dr. *Publice* I. Principia ethices exponet d. Martis et Iovis h. IV. *Privatim* II. Psychologiam docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. et Ven. h. III.

F. H. TROSCHEL Dr. *Publice* I. Exercitationes zoologicas seminarii regii physici moderari perget d. Sat. h. VIII. II. Introductionem in zoologiam tradet d. Merc. h. VIII. *Privatim* III. Zoologiae specialis partem alteram (de animalibus evertebratis) docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

ERWINVS NASSE Dr. *Publice* I. De re nummaria disseret semel d. Lun. h. V. *Privatim* II. Oeconomiam publicam generalem docebit quater vel quinquies primis diebus hebdomadis h. IV. *Privatissime et gratis* III. Exercitationes oeconomicas moderabitur semel die Mart. h. VI et VII.

RVDOLPHVS CLAVSIVS Dr. *Publice* I. Exercitationes physicas seminarii regii physici moderari perget semel p. h. d. Mart. h. X. *Privatim* II. Physices experimentalis partem dimidiam: acusticen, opticen, magnetismum et electricitatem tradet quater p. h. d. Merc. et Sat. h. IX et X. III. Caloris theoriam mechanicam docebit bis p. h. d. Mart. et Ven. h. IX.

ARNOLDVS SCHAEFER Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus scriptores belli Punici secundi tractandos proponet d. Sat. h. IX. *Privatim* II. Historiam Romanam usque ad Ti. Gracchi tribunatum enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

FRANCISCVS BVECHELER Dr. *Publice* I. Philologorum in seminario regio disputationes moderabitur et carmina latina commentanda proponet d. Ven. h. v et vi. *Privatim* II. Litterarum latinarum historiam tradet quater p. h. h. xi.

HERMANNVS VSENER Dr. *Publice* I. Seminarii philol. sodalibus ordinariis Philippi Opuntii Epinomidem tractantibus aderit d. Mart. h. v et vi. *Privatim* II. Iliadem praeleget et carminum Homericorum historiam criticam dabit quater p. h. d. Mart. Iov. Ven. Sat. h. xii.

RVDOLPHVS LIPSCHITZ Dr. *Publice* I. Seminarii mathematici sodalium exercitationes moderabitur d. Merc. et Sat. h. xi. *Privatim* II. Calculum variationum eiusque calculi usum in explorandis complurium differentialium formis exponet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. iv. III. Calculi differentialis et integralis partem alteram docebit d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. v.

AVGVSTVS KEKVLÉ Dr. *Publice* I. Chemiae generalis quaestiones selectas tractabit semel d. Ven. h. iv. *Privatim* II. Chemiae experimentatae partem II i. e. chemiam organicam tradet quater d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. xii. III. Metallorum et salium chemiam docebit bis d. Merc. et Sat. h. xii. IV. Exercitationes practicas in laboratorio chemico moderabitur una cum WALLACH P. E. quotidie ab h. ix ad h. v.

IVERGEN BONA MEYER Dr. *Publice* I. Recentiorum philosophorum de civitate doctrinam exponet semel d. Merc. h. vi. II. Societatem paedagogicam moderabitur semel d. Ven. h. vi—viii. *Privatim* III. Paedagogicen eiusque historiam tradet quater d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. iv. IV. Philosophiae religionis historiam exponet quater d. Mart. Merc. Iov. Ven. h. v.

GVILELMVS MAVRENBRECHER Dr. *Publice* I. In seminario historico de historia Consilii Tridentini aget d. Ven. h. vi. *Privatim* II. Historiam rerum germanicarum enarrabit diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. v. *Privatissime et gratis* III. De fontibus rerum germanicarum medii aevi d. Merc. h. iv et v.

CAROLVS IVSTI Dr. *Publice* I. Historiâm chalcographiae enarrabit bis h. xi. *Privatim* II. De aesthetica artium plasticarum et technicarum disseret ter h. xi.

IOSEPHVS NEVHAEVSER Dr. *Publice* I. Exercitationes philosophicas moderabitur, semel h. p. i. *Privatim* II. Psychologiam docebit quater dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. viii. III. Historiam philosophiae recentioris, praemissa medii aevi philosopiae historia, enarrabit, quater quinquiensve, primis hebdomadis diebus h. ix.

EDVARDVS LVEBBERT Dr. *Publice* I. In seminario regio philologorum sodalibus extraordinariis Herodoti partes selectas et Ovidi Heroides explicandas proponet d. Lun. h. vi et d. Ven. h. iv. *Privatim* II. Romanorum antiquitates sacras tradet d. Lun. Mart. Iov. h. iv et Sat. h. xi.

EDVARDVS STRASBVRGER Dr. *Publice* I. Seminarii regii physici exercitationes botanicas d. Merc. h. iv moderabitur. II. De algarum historia naturali disseret semel d. Ven. h. xi. *Privatim* III. Botanicen specialem docebit d. Lun. Mart. Merc. Iov. h. xi. IV. Exercitationes botanicas microscopicas instituet d. Mart. Ven. ab h. ix ad xi. V. Quaestiones de rebus botanicis instituendas moderabitur quotidie ab h. ix ad h. v.

GERARDVS vom RATH Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii regii physici mineralogicas moderabitur semel d. Iov. h. iii. II. Geologiae partes selectas docebit semel h. p. i. *Privatim* III. De novis quaestionibus mineralogicis disseret bis h. p. i.

RENARDVS KEKVLÉ Dr. *Publice* I. Exercitationes archaeologicas moderari perget d. Merc. h. x. *Privatim* II. Antiquitates Pompeianas explanabit atque historiam picturae Graecae adumbrabit d. Mart. Iov. Ven. h. x.

CAROLVS MENZEL Dr. *Publice* I. Seminarii historici sodalibus fontes historiae Heinrici IV. imperatoris tractandos proponet d. Mart. h. VI. *Privatim* II. Palaeographiam latinam et germanicam medii aevi tractabit ter d. Mart. Iov. et Ven. h. III.

MAVRICIVS RITTER Dr. *Publice* I. Exercitationes seminarii historici de auctoribus rerum Germanicarum saeculi VI—IX moderabitur d. Iov. h. VI. *Privatim* II. Historiam Europae saec. XV et XVI enarrabit quater, d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IV.

